



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput VIII. De externa Fidei Confessione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

explicita, quæ enim non creduntur, nec deſiderantur; ſicut non deſiderantur baptiſmus, niſi crederetur ipſius neceſſitas & efficacia. Præterea ſuſceptio baptiſmatis, cum ſit actus à voluntate *imperatus*, & exercendus extrinſecis adiumentis, poteſt abſque voluntatis culpa impediri, ſecus fides, cum ſit actus *elicitus*, ſi quis velit credere, nequit ab aliqua exteriori cauſa à fidelium corde amoveri. Prætermitto vulgarem objectionem deiſ, qui abſque fide *explicita* Deum ſuper omnia diligere. Sententia enim noſtra, ut diximus lib. XIII. cap. 4. *hæc dilectio eſt à Deo Patre per Jeſum Chriſtum in Spiritu ſancto*. Imo & ii, qui docent poſſe ſine gratia Chriſti diligere Deum tantum auctorem naturæ, fatentur quod diligere nequeat ut auctor gratiæ abſque ordine ad Chriſtum, & ſine ipſius gratiæ largitate, ita ut dilectio ſine fide non poſſit ad juſtificationem ſufficere. Addo tantum pro huius quaſtionis corronide, Sanctum Franciſcum Xaverium percontanti Japoniæ Regi cur illuc acceſſiſſet, hoc dediſſe reſponſum, eò ſe miſſum *Divinæ legis prædicandæ gratia*, quippe cum nemo, quin Deum ejusque

filium Jeſum Chriſtum omnium gentium vindicem ac Salvatorem caſte, pieque coleret, ſalvus atque incolumis eſſe non poſſet. Ita Indorum Apoſtolus Epist. 7. libri III. ab Horatio Turſellino latine reddita, pag. edit. Rom. 115. Revera ſi abſque fide in Chriſtum qui Evangelium non audierunt ſalutem conſequi poſſunt, cur Xaverius Japoniam, cur è noſtris Didacus Ortiz, Joannes Ximenes, Eſtathius, alique Mexicanam ac Peruanam, & regiones reliquas barbarorum incultiſſimas ac remotiſſimas, Apoſtolorum exemplo, adierunt? Jure itaque Facultas Lovaniensis vetuit ne edoceatur in hoc ſtatu fidem *explicitam de Deo Trino, & Salvatore Chriſto Jeſu non eſſe ita neceſſariam, ut ſine tali fide non poſſit obtineri ſalus*, ut reſert in Theſibus Lovaniensis anni 1721. Antonius Rolliers. Jure Innocentius XI. declaravit prop. 64. non eſſe capacem abſolutionis qui ignorat ſanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis myſteria. Jure denique Eccleſia in Symbolo, quod tribuitur Athanaſio, iſdem myſteriis expoſitis inquit: *Hæc eſt fides Catholica, quam niſi quisque fideliter firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit*.

CAPUT VIII.

De externa Fidei Confessione.

SUMMARIUM.

1. Propositio I.
2. Probatur.
3. Solutiones obiectionum.
4. Propositio 2. Probatur.
5. Quando deitur ſuperſtitio, quando civilis tantum conſuetudo.

6. Probatur, Chriſtianum poſſe perſecutores ſuagere.
7. Probatur, illicitum eſſe fugere, ſi cauſa fidei aut ſalus chriſtiana periclitatur.
8. Obiectiones ſolvuntur.

DIXIMUS de interno fidei actu, nunc de externo dicendum eſt: atque inquirendum primo an liceat fidem negare; deinde an ſaltem fides diſſimulari poſſit ſervando infidelium ritus, & conſuetudines: tertio an Tyranno interroganti fas ſit fidem occultare; poſtremo an liceat in perſecutione fugam arripere. Omnia hæc uno capite expediemus: nam libro Viceſimo cap. x. agentes de ſimulatione in ſervandis legalibus omnia fere argumenta diluimus.

PROPOSITIO I. Nunquam licitum eſt negare fidem.

- I.** Eſt hæc theſis contra Elceſaitas, qui
Propoſitio 1. apud Eusebium lib. VI. H. E. cap. 38. & S. Patrem Auguſtinum de Hæreſ. h. XXXI. docuerunt fidem in perſecutione negandam ore, & corde ſervandam: contra Præſcillianistas, qui apud eundem Auguſtinum h. LXX. propter occultandas

R. P. Berti Theol. Tom. IV.

contaminationes & turpitudines ſuas habebant in dogmatibus ea verba,

Jura, perjuram, ſecretum proderenoli;

& contra Georgium David Anabaptiſtam, Angloſque Libertinos.

Probatur I. ex Scripturis. Ait enim Apoſtolus ad Rom. x. *Corde creditur ad juſtitiam: ore autem confeſſio ſit ad ſalutem*. Oris ergo confeſſio neceſſaria eſt. Quo autem tempore, niſi eo potiſſimum, cum interrogante Tyranno, atque de religione percontanti debemus fidem noſtram proſiteri, & aperta confeſſione Chriſto debitum obſequium reddere? Deinde cur Salvator nos tam ardenti oratione Mat. x. hortatur, ut imitemur prudentiam *ſerpentis*, id eſt Capitis noſtri tueamur honorem, etiamſi corpus nobis dilanietur? Cur ait, *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt*

2.
 Probatur ex
 S. Scriptura.

Pp 2

ſunt

sunt occidere? Cur non inquit potius, Servate interiori animo fidem, si forte necessum sit ad evitandam tyrannorum favitiam, aut dejerare, aut uti simulatione, aut mentiri? Præterea quid proferri potest expressius dominica illa sententia, citato capite x. 33. *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo*, aut altera Lucae ix. 24. *Qui voluerit animam suam salvam facere perdet illam?* Etiam Apostolus in 2. ad Timotheum 11. 12. *Si negaverimus*, inquit, *& ille negabit nos*. Secundo demonstratur auctoritate Ecclesiae: quæ, ut colligitur ex libro Cypriani de Lapsis, *Libellarios*, scilicet habentes de facta idolis immolatione chirographum, quod sæpenumero à tyrannis ad evitandam mortem pecunia extorquebant, etiam scelere non patrato, ad pœnitentiam vix recipiebat post vehementem notificationemque concepti doloris amaritudinem. Innocentius XI. & ipse propositionem illam num. 18. confixit: *Si à potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum consulo; ut peccaminosum per se non damno.* Tertio confirmatur S. Patris Augustini doctrina: nam ait S. Pater de Fide, & Symbolo num. 1. *Fides officium à nobis exigit & cordis, & lingue.* Tract. LXVI. in Joannem: *Qui negat hominem Christum, non reconciliabitur per Mediatorem Deo; & Tract. CXIII. Petrus si negato Christo iret, quid aliud, quam periret?* Augustino omnes alii consentiunt. Denique probatur ratione. Cum enim quodlibet mendacium iniquum sit, & veritati contrarium: quale putas flagitium esse, cum magno Christiani nominis dedecore aut Christi fidem, aut, quod perinde est, se ejusdem discipulos abnegare? Si vitam animæ tribuit, auctore Augustino Tract. in Joannem 36. Christum profiteri, nonne maximum detrimentum afferet negare ipsum Christum? Postremo, ut adversus Priscillianistas scribit Doctor sanctissimus lib. contra Mendacium cap. 2. sententia propugnans quod cum iis, qui nobiscum non sunt societate ac religione conjuncti, liceat loqui mendacium, nonne *Martyres exbonorat, imo vero non aufert sancta omnino martyria?*

3.
Solutions
objectionum.

Contraria argumenta digna non videntur, quæ proponantur Theologiæ candidatis. Inquiunt Adversarii, scriptum esse Psalmo xiv. 3. *Qui loquitur veritatem in corde suo*, tanquam id ad justiciam sufficiat; at sequitur in Psalmo, *Qui non egit dolum in lingua sua*; & in-

quit Apostolus, *Ore autem confessio fit ad salutem*. Addunt Christum interroganti Herodi, ac Præsidi Lucae xxiii. 9. & Joannis xix. 9. nullum dedisse responsum. Verum tunc non de fide Dominus interrogabatur, ut supra Lucae xxiii. 3. & Joann. xviii. 33. quando ad interrogata respondit; fuitque in cæteris silentium ejus humilitas singularis, summa prudentia, atque derisionum, contumeliarum, mortisque contemptus. Afferunt Tyrannum non esse judicem legitimum, cui necessum sit reddere fidei nostræ rationem: Sed nisi confessionem sinceram exigit obsequium debitum Potestati, eam postulat veritas, religio, & honor illi exhibendus, qui etiam de mercede paciscens, *Qui confitebitur*, inquit, *me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo*. Quamobrem istiusmodi argutiolas, gerasque Siculas prætermittimus.

PROPOSITIO II. Nunquam fas est usurpatione rituum, ciborum, vestium, nominumque gentium idololatrarum, ubi sint supersticiosi cultus indicium, religionem callide simulare. 4. Proposito.

Demonstratur 1. ex Scripturis. Enimvero 2. Machab. vi. Eleazarus hortantibus amicis *iniqua miseratione commotis*, ut simularet vesci sacrificii carnibus, respondit non esse ætati suæ *dignum fingere*, sed futuram potius simulationem illam senectuti suæ *maculam & execrationem*: & quod præcipuum est, *Et si*, inquit versu 26. *in præsentem tempore supplicii hominum eripiar, sed manus omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam*. Narratur proximo capite vii. illustre septem fratrum ob eandem causam martyrium. Apostolus in 1. ad Corinth. x. 28. ait: *Si quis autem dixerit: Hoc immolatum est idolis; nolite manducare propter illum qui indicavit, & propter conscientiam*. Ad hæc non solum Matt. x. prohibemur negare Christum, sed etiam jubemur illum confiteri: & Lucae ix. 26. *Qui me erubuerit, inquit Dominus, & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua*, &c. At fidem simulare est illam non confiteri, & Deum pro nobis crucifixum erubescere. Prob. II. ex Patribus: videntes enim immolationis carnes, quamvis illas simulate manducassent, Irenæus lib. 1. cap. 1. Tertullianus de Idololatria cap. 13. Cyprianus de lapsis, S. P. Aug. de Bono conjugali cap. 16. alique omnes, imo & antiqua Concilia damnant, ac reprobant. Deinde docent confessionem fidei faciendam nulla ambiguitate, nulla que

Probatur ex
Patribus.

que adhibita simulatione: *Non enim satis est*, ait S. Ambrosius lib. x. in Lucam, *involuta responsio contentis Jesum, sed aperta confessio. Quid prodest verba involvere, si videri vis denegasse?* S. Pater Augustinus contra Mendacium cap. 6. retundens illorum consuetudinem, qui ut facilius hæreticos, ethnicosque vident & refellant, horum dogmata & ritus approbant mentiendo, ait: *Sed multo facilius, inquires, eorum latibula penetramus, si quod sunt nos esse mentiamur.* Hoc si liceret aut expediret, potuit Christus præcipere ovibus suis, ut lupinis amicta pellibus ad lupos venirent, & eos hujus artis fallacis invenirent. Plura ibidem Augustinus ad rem nostram utilissima. Fulgentius lib. i. ad Trasim. cap. i. inquit. *Compertum esse non ambigo apud eos, qui Christianæ gratiæ participatione redempti sunt, pene id esse fidem nolle asserere, quod negare.* Et infra: *Cum de Deo res agitur non levis reatus est, si quod ad salutem pertinet taceatur.* Corroboratur III. præfata thesis ratione. Nam veritas postulat, ut unusquisque talem se exhibeat exterius, qualis est; id enim veritatis idea suadet, traditque D. Thomas 2. 2. q. 111. art. 1. Atque ideo pag. 57. omnem simulationem esse illicitam pronunciamus. Accedit, quod sicut interiorem animum patefaciunt non solum verba, sed etiam cætera signa: ita eodem crimine sese obstringit, qui verbis orisque confessione, & qui moribus, consuetudine, ritibus tali ratione se gerit ut Christum videatur aut negare, aut erubescere. Argumenta, quæ videntur positionem hanc oppugnare petita ab observatione legalium, ab auctoritate Græcorum Patrum, à nonnullis divinarum Scripturarum, nec non Ecclesiasticæ Historiæ exemplis, soluta à nobis sunt lib. xx. cap. 10. ubi de concertatione S. Parentis Augustini cum beato Hieronymo liberiori stylo disputatum est.

Probat
ratione.

5. Duntaxat animadvertendum est, quando ritus, signa, verba, epulum, vestimenta, aliaque hujuscemodi superstitionem redoleant, quando vero civilem tantummodo consuetudinem. Nam qui necessitate coactus templum profanum ingreditur, ac domino etiam thura adolenti exhibet famulatum, ut diximus de Naamano, & contingere interdum potest cuilibet barbarorum mancipio, is dummodo non prætergrediatur civilis obsequii jura, nullumque exhibeat cultum idolis, ab omni culpa est immunis. Ab his pendet gravis de Sinenibus Ri-

tibus controversia tanta animorum contentione agitata: nam quæ cultum politicum referunt, ut die natali coram parentibus procumbere, & Imperatoris quoque nomen mensæ impositum venerari, Confucium etiam in gymnasiis honore prosequi, tanquam philosophicæ disciplinæ præceptorem, non videntur omnino flagitiosa. At inspicendum, num cætera sint hujus generis, neque in his lateat specimen cultus idololatrici. Fas pariter erit juxta patrium morem Regem Angelorum salutare genuflexo. Vesci idolothytis, si absit periculum scandali, neque præferat pravi animi suspensionem, licitum est. *Omne quod in macello venit, manducate*, inquit Apostolus in 1. ad Corinth. x. 25. secus si adsit scandalum, aut id jubeat princeps idololatra ad contestandam religionem; ut diximus pag. 62. Imitari eo in casu debemus Eleazari fortitudinem, ac traditam ibidem ab Apostolo præceptionem: *Si quis autem dixerit: Hoc immolatum est idolis; nolite manducare.* Idem asserendum est de Judæorum azimis, de conviviis hæreticorum, de fidelium in horum domo, templisque conventibus. Servanda est eadem regula in usu vestium; ut quæ regionis sunt, ubi opportunum est, adhibeantur: ita Apostolici viri aliquando Persicis, Indicisque, cum nun possint propriis incedere, induuntur. Idem asserendum de vestibus, quæ sunt honesti muneris, aut collatæ dignitatis argumentum; ut quas induerunt Joseph inter Agyptios, Daniel inter Chaldaeos, & Jesuitæ, quos Mandarinis appellant, inter Sinenfes. At cavendum, quod paulo supra monuit Augustinus, ne Christi oves pellibus lupinis se contendant; nam indumenta superstitionis *protestativa* sunt penitus abjicienda. Adhibenda autem hæc regula in rebus cæteris. Quidquid hæresim, aut impietatem redolet, fugiendum omnino: huc spectant interesse cœnæ Calvinistarum, suscipere à Lutherano ministro Eucharistiam, & extra casum necessitatis etiam Baptismum, communicare hæreticorum ritibus, adire illorum templa & frequentare conciones alio fine, quam irridendi, & refutandi doctrinam hæreticam: atque ita ratiocinandum de reliquis suapte naturæ Catholicæ, & Orthodoxæ fidei contrariis.

6. PROPOSITIO III. Inculpatim Christiani, etiam Episcopi, Persecutoribus se fugiendo surripiunt, nisi aliter suadeat Fidei causa, plebisque Christianæ periclitatio.

P p 3

De,

Probat
Christianum
posse per-
secutores fu-
gere.

Demonstrat apertissime hanc propo-
sitionem S. Athanasius in Apologia de fu-
ga sua scripta anno 357. cum Leontius
Antiochenus, Narcissus Neroniadis, &
Georgius Laodiceus Ariani Episcopi
ægre ferentes, quod Syriani Ducis
cruentas manus evasisset, criminaban-
tur illius fugam. Sunt autem argumen-
ta Athanasii quæ sequuntur. Primum
demonstrat pag. 326. Tom. I. edit. ul-
timæ Parisiensis, quod fas sit in perse-
cutione fugam arripere exemplo Moysis,
qui fugit in terram Madian commen-
datus ab Apostolo ad Hebræos XI. 27.
Davidis qui latuit in spelunca, ut Abi-
melechum, ejusque insidias declinaret,
Heliz qui Jezabelis & Achabi se subtra-
xit indignationi. Addit exemplum di-
scipulorum, qui se occultarunt metu
Judæorum percussis, & Pauli qui ad vi-
tandas insidias Aretæ Damasci præsidis
per murum in sporta demissus est. Idem
confirmat pag. 327. Christi doctrina &
operibus, producitque fugam in Ægy-
ptum, narratam Matth. II. 13. fugam
de templo Joan. VIII. 59. fugam in
Ephrem Joan. XI. 54. demonstrans ea,
quæ de Salvatore secundum humanita-
tem scripta sunt, ad commune homi-
num genus referenda. Nec prætermittit
Dominicam sententiam Matth. X. 23.
*Cum autem persequerentur vos in civitate
ista, fugite in aliam*: quam in Evange-
lica lectione repetit Ecclesia in ipsa bea-
tissimi Athanasii festivitate. Profert
etiam rationes perspicuas. Ac prima
est, quoniam fugæ ærumnas perferre
gravius aliquando est ipsa morte, ideo-
que fugam arripere non est semper ina-
nis timoris argumentum: quod pag. 330.
confirmat exemplo Jacob, qui fugiens
à facie Esau præsentem mortem nequa-
quam timebat, & pag. seq. exemplo
Apostolorum Petri & Pauli, qui cum
aliquando persecutores vitaverint, Ro-
mam tamen venire non detrectarunt ibi
mortis subituri supplicium. Altera ra-
tio est, quod Deus Sanctis suis in ipsa
fuga plures impertivit honores, ut Jacob,
& Moysi. Postrema ratio est, quod ex
ipsa fuga multum utilitatis accedit Ec-
clesiæ; nam qui prædicassent Evange-
lium, nisi fugam Apostoli arripuissent?
Fugientes itaque sancti quasi medici in
usus indigentium servantur. Has ratio-
nes proponit S. Athanasius pag. 332. &
sequenti. Hæc satis assertum corrobora-
rant. Legi tamen poterit etiam Cypria-
nus de Lapsis pag. 375. edit. Baluzii, nec-
non Epistola 54. ad Cornelium pag. 173.
Dixi tamen nefas esse in Persecutione
fugam arripere, dum fidei causa, & sa-

lus Christianæ plebis periclitatur. V. G. 7.
Si populus absque Rectore ullo sub Ty-
rannorum sævitia permaneat, & ad eum
qui fugit cura ovium Christi pertineat,
nec totus grex fugiens persecutoribus
se furripiat. Egregie id commonet, Christiana
probatque in Epistola ad Honoratum 180. periclitatur.
nunc 228. S. Pater Augustinus. Primo
ait num. 2. verba Domini dicentis:
*Cum persequerentur vos in civitate ista,
fugite in aliam*, non ita servanda, *ut
necessario ministerio, sine quo vivere ne-
queunt, deserantur greges, quos suo san-
guine comparavit.* Ostendit in eo ca-
su non valere exemplum Christi fugien-
tis in Ægyptum, quia nondum Ecclesias
congregaverat, nec Apostoli, qui per fene-
stram in sporta submissus est, quoniam
deserta non fuit, Ecclesia quæ ibi erat neces-
sario ministerio. Deinde num. 3. urget
præceptum Charitatis, de quo Joan.
Epist. I. cap. III. 16. *Quoniam ille ani-
mam suam pro nobis posuit: & nos de-
bemus pro fratribus animas ponere*:
commonstratque id non quadrare iis,
qui dum fugiunt, vel suis devincti ne-
cessitatibus fugere non possunt, & com-
prehensi patiuntur; sed illis tantum,
qui propterea patiuntur, quia fratres,
qui eis ad Christianam salutem indige-
bant, deserere noluerunt. Quod profe-
cto per se satis compertum est. Præte-
rea demonstrat num. 6. Episcopos ne-
quaquam debere imitari mercenarium,
qui videt lupum venientem, & fugit,
quoniam non est ei cura de ovibus; ut
Christus ait Joan. X. 13. *Cum enim
(inquit Augustinus) plebs manet, &
ministri fugiunt, ministeriumque sub-
trahitur; quid erit nisi mercenario-
rum illi fuga damnabilis, quibus non
est cura de ovibus?* Excusat ibidem fu-
gam Athanasii, de qua supra, quoniam
fugit, nequaquam à cæteris ministris de-
serta plebe Catholica, quæ in Alexandria
commanebat.

Solvit eo loci Augustinus quæ possunt
in contrarium opponi. Aiebat Hon-
ratus nil aliud efficere Episcoporum
præsentiam, nisi ut irriterentur magis per-
secutores, ita, ut spectantibus pastori-
bus viri cadant, faminz constuprentur,
incendantur Ecclesiæ. At respondet
S. Pater, propter ista quæ incerta sunt
non debere nostri officii esse certam de-
sertionem: si certa mala ista forent,
omnes fugam arrepturos, atque Antistiti
tunc non futuram manendi necessita-
tem: magis timendum ne lapides vivi
extinguantur desertentibus Episcopis,
quam ne illis præsentibus incendantur
lapides & ligna terrenorum ædificiorum:
ma-

Objectiones
Solvuntur.

maius fore detrimentum ſi interiori ſenſu pereat caſtitas fidei, quam ſi ſamina violenter conſuprentur in carne: in perſecutione denique magnum fieri in Eccleſia utriusque ſexus concurſum, aliis baptiſmum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam poenitentiae ipſius actionem, omnibus conſolationem, Sacramentorum confectionem, & erogationem. Hæc ad num. uſque 8. Quærenti an liceat fugere, ut ſerventur alii, qui reſiduis fidelibus miniſtrent; reſpondet, quando eſt commune periculum, cavendum Epifcopo ne magis fugiendi obſit exemplo, quam vivendi proſit officio: ſi fugiendum ſi non deſint alii, per quos ſuppleatur Eccleſiaſticum miniſterium: ſi laici non querantur ad mortem, poſſe ab iis occultari Clericos, & Epifcopos ſuos; cæterum non tanti pendendam eſſe Eccleſiæ navim, ut debeant eam nautæ, & maxime gubernator periclitantem deſerere, etiamſi in ſcapam tranſiliendo, vel etiam natando poſſint effugere.

Atque hæc ad num. 12. Petenti denique quid agendum ſit dum plebes decipiuntur, cum ideo non fugiant, quia manere ſuos præpoſitos cernunt; ait declinandam hanc invidiam alloquendo eaſdem plebes, eiſque ſignificando quod ideo Epifcopi remaneant, ut fidelibus miniſtrent quid eorū ſaluti noverint neceſſarium; nec omittendam hanc orationem, ſi utile videatur ad loca tutiora migrare: ſi abire plebs nolit, aut non poſſit, aut eundem ſit ad incerta ſuffugia, & non ad finiendam, ſed ad mutanda pericula, non eſſe Chriſtiano miniſterio deferendam: ſi autem abire maluerit, nec Epifcopis manendum eſſe, qui propter ipſam plebem manebant. Hæc ad numerum uſque poſtremum. Ergo cum Auguſtinus tam valide nerveſque quæſtionem iſtam diluerit, recte ipſa Doctoris omnium præclariffimi documentis concluditur.

CAPUT IX.

Quænam ſit de Sinenſium ritibus controverſia.

SUMMARIUM.

1. An Sinenſium ritus ſuperſtitioſi ſint cenſendi, an permittendi vi duorum Decretorum.
2. Probatur, Decretum 1645. emanatum manſiſſe in ſuo vigore.

3. Probatür, cultum Confucii ſuperſtitioſum fuiſſe.
4. Probatur Decretum Cardinalis de Tournon non vindicare ritus Sinenſium à ſuperſtitione.

1. An Sinenſium ritus ſuperſtitioſi cenſeri debeant, an permitti vi duorum Decretorum.

CONSCELERATAM non eſſe Sinenſium ritum conſuetudinem in iis, quæ referunt duntaxat cultum politicum & civilem, dixi prop. 2. Capituli præcedentis. An autem interſit idolatrica ſuperſtitio, ignarus rerum, ac tanta locorum intercapedine diſſitus deſinire vix poteſt. Standum omnino Apoſtolice Sedis deſinitionibus: quæ ſpectatis diverſis circumſtantiis, & Miſſionariorum relationibus, diverſa ſancivit, iudicio ſemper librato, atque irreformabili. Nam anno 1645. die 12. Septembris ad quæſita Patris Joannis Baptiſtæ Moraliſ Ordinis Prædicatorum, reſpondit Sinenſium cultus eſſe illicitos: anno autem 1656. die 23. Martii affirmavit permitti poſſe, ſublatis ſuperſtitionibus, fideique proteſtatione præmiſſa, audita tunc relatione P. Martini Martini Societatis Jeſu in Sinarum Regno Miſſionarii. Remanet ergo difficultas, an poſtremo decreto emanato Sinenſium ritus ſuperſtitioſi cenſeri debeant, an permitti, & num decretum primum adhuc in ſuo robore maneat. Cum pro

utraque parte innumera ſcripta prodierint, miſſus ad Sinas Reverendiſſimus Carolus Maigrot prohibuit anno 1693: cultum à Sinenſibus Confucio, & Progenitoribus exhibitum, tabellas eiſdem appenſas, vocabulum *Xang Ti*, ac *Tien*, quo ſignificant ſummum Deum, & inſcriptionem alteram *King tien*. Gravè hinc ſubortum diſſidium circa Edictum Domini Maigrot: ac pro uſu ipſarum tabellarum ſcripſerunt plures Apologiſtæ; plures quoque illas reprobarunt; horum autem Scriptorum illuſtiores paulo infra commemorabo. Tandem in Sinam proſectus juſſu & auctoritate Clementis XI. Carolus Thomas de Tournon, decreto ſuo emanato Pudicherii die 23. Junii anno 1704. complura alia Sinenſium uſu recepta proſcripſit, poſtea Vaticanâ purpurâ ornatus: ejuſque decretum confirmavit anno 1710. die 25. Septembris idem Clemens XI. & anno 1727. die 12. Decembris Benedictus XIII. Etiam de Cardinali ampliſſimo ætate hæc diſputatur, an conſuetudines Sinenſium ſatis exploraverit, an innocuas tanquam ſu-